



27
27
28
29
30
31
32
33



1699.

27^a Thomarius, Christianus: De tubelis.

27^b Thomarius, Christianus: De tubelis. Ed. novissima. 1735

28^a et ^b Thomarius, Christianus: De protestatione facto contraria.

2 Exempt. 1726 et 1731

29^a et ^b Thomarius, Christianus: De pseudo-privilegio papali.

1i, conventi contraria actione negotiorum gestorum.

2 Exempt. 1699 et 1741.

30^a, ^b, ^c, ^d. Thomarius, Christianus: De jure consuetudinum et

observantiarum. 4 Exempt. 1699, 1722, 1731 et

1740.

31^a, ^b, ^c Thomarius, Christianus: De fide juridica.

3 Exempt. 1699, 1723, 1750.

32^a, ^b, ^c Thomarius, Christianus: Vindictae juris majestatis

hinc circa sacra. 3 Exempt. 1699 et 1711.

33^a, ^b, ^c, ^d. Thomarius, Christianus: De homicidio lingual.

[Faint, illegible handwritten text, likely bleed-through from the reverse side of the page.]



INSTITUTIONE
TITELIS.

FRIDERICO WILHELMO,
PRINCIPALI DE BONAE
DOMINO

FRIDERICO WILHELMO,
MARCHIONI BRANDENBURGICO, ELECTORATI

CHRISTIANO THOMASIO,
DOCTORI MEDICINAE

PHYSICIS & CHIRURGIIS
PRAEFICIT

PHYSICIS & CHIRURGIIS
PRAEFICIT

PHYSICIS & CHIRURGIIS
PRAEFICIT

PHYSICIS & CHIRURGIIS
PRAEFICIT



5782.

2.

5

3

1599

280

B. C. D.
DISSERTATIO INAUGURALIS,
DE

**PROTESTATIO.
NE FACTO CON-
TRARIA,**

QUAM
RECTORE MAGNIFICENTISSIMO,
SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO,

DN. FRIDERICO WILHELMO,
MARCHIONE BRANDENB. ET ELECTORATUS HÆ.
REDE, &c. &c. &c.

PRÆSIDE

DN. CHRISTIANO THOMASIO, Jcto,
CONSIL. ELECT. BRAND. PROF. PUBL. ET FACULT.
JURID. h. t. DECANO,

PRO LICENTIA,

Summos in utroque Jure Honores & Privi-
legia Doctoralia ritè capeffendi,

Publico Euditorum examini submittit

JOHANNES BRESCIUS, Gubenas,
Dicafterii Lubenensis Advocatus
Juratus.

Ad d. XII. Maji MDCXCIX.

H. L. Q. C.

HALÆ MAGDEBURGICÆ,

Recusa, Literis CHRISTIANI HENCKELII, Acad. Typogr. 1726.



PRÆFATIO.



PRat animus, varia illa
quæ ex multis Scriptoribus de Pro-
testatione facta contraria college-
ram, cum cura ordinare, & metho-
do hætenus consueta paulo fusius
iusta dissertatione proponere. Sed
cum præter spem causæ subortæ
sint, quæ me in patriam, citius quam antea cogitaveram,
avocent, cogor saltem breves hæc theses ad disputan-
dum proponere; atque prolixiorum elaborationem hu-
jus thematis maxime practici secundis curis reservare.
Faxit Deus feliciter.

Th. I.

Protestationis vox in omnium ore est, & quamvis pa-
rum latina videatur Fabro, nobis tamen sufficit, quod
eadem usurpata aliquoties sit à Jctis, ex quorum scriptis
Pandectæ sunt compositæ l. 34. ff. de negot. gest. l. 1. §. 4. quod
leg. quamvis & abusive hac voce utatur Justinianus §. 2.
Inst. proem. l. 14. C. de inut. stipul.

Th. II.

Protestatio autem est *declaratio voluntatis nostræ per
verba, juris nostri conservandi causa facta, ne id factum aliquo
nostro amississe videamur.*

A 2

Th. III.

Th. III.

Declaremus rem per exempla ex legibus. Ita in *l. 34. ff. de neg. gest.* mater verbis: se ideo filium alere, ut aut ipsum aut tutores conveniat, declaravit voluntatem suam, ut jus repetendi alimenta sibi conservaret, nec videretur præstatione alimentorum tanquam ex pietate factâ id amisisse.

Th. IV.

Ita in *d. l. 1. §. 4. quod leg.* dum duabus actionibus utimur, declaramus voluntatem nostram per verba, quod ex alterâ velimus consequi, quod nobis debetur, ut jus indemnitatis conservemus, neque cumulatione hac actionum vel pœnam plus petitionis incurramus, vel tanquam incertum quid petentes a iudicio removeamur.

Th. V.

Ergo cum voluntas nostra vel verbis declaretur vel factis, unde & voluntatis divisio oritur in expressam & tacitam, putamus protestationem ad expressam voluntatis declarationem pertinere, atque adeo nullam protestationem esse tacitam, ac nullam fieri factis, quatenus facta verbis opponuntur.

Th. VI.

Non tamen putandum est, ad protestationem requiri, ut præcise mentio fiat vocis protestandi vel similis, sufficit quod verba adfint alia, quæ animum protestandi declarent; Ita creditor, qui in alienationem pignoris consentit, additis verbis, *salvâ causa pignoris*, his verbis protestatus esse censetur, ne amittat jus pignoris. *l. 4. §. 1. quib. mod. pign. solv.*

Th. VII.

Dum juris *nostrî* mentionem facio, includo etiam jus illius, cujus personam sustineo, si v. g. tutor, vel procurator,

tor, vel negotiorum gestor, aut defensor sim. Extra hanc causam uti nemo alii acquirit, ita & nemo protestatione alterius jus conservare videtur.

Th. IIX.

Sub *conservatione* vero juris nostri etiam intelligo a-
versionem damni. Hoc enim ipso conservo jus indem-
nitatis. An protestatio etiam juris acquirendi causa fieri
possit, tamdiu dubito, donec afferatur exemplum.

Th. IX.

Causa impulsiva protestationis est aliquod factum
nostrum suspicionem pariens, quasi jus nobis compe-
tens amisisse voverimus.

Th. X.

Per *factum* hic intelligo, non quatenus verbis op-
ponitur, sed quatenus generale verbum est, sive verbis
sive re quid agatur *l. 19. & l. 58. de V. S.* Ita in *l. 34. de negot.
gest.* aderat factum stricte dictum alimentationis. Ita in
l. 1. §. 4. quod legatorum verba aderant protestationi cau-
sam suppeditantia.

Th. XI.

Factum nostrum requiro. Nam factum alienum vel
justum timorem nobis excitare nequit juris nostri amit-
tendi, vel si cum potestate jus nostrum auferendi conjun-
ctum est, protestatio esset nullius usus.

Th. XII.

Etenim si par sit, ex cuius facto amissionem juris
mei, timeo, frustra id fit, cum ex facto nostro amittan-
tur jura, sive illicito, sive licito. Alter vero facto suo jus
meum tollere nequit. Rem quidem perdere meam pot-
est, sed jus ipsum non auferre.

Th. XIII.

Si vero superior sit, vim obligandi nos facto suo v. g.
legibus habens, protestatio est illicita & jus nostrum quod

A 3

nul-

nullum habemus, conservare non potest, sed potius reos
pœnæ talis protestatio reddet.

Th. XIV.

Quin &, si maxime dubium aliquod jus habeamus,
adversus superiorem semper periculose protestamur.
Ita memini Potentem aliquem Principem indulgisse Se-
natui ac jussisse, ut in quodam loco municipii extrueret
turrim custodiens civibus delinquentibus usui futuram.
Non poterat id aliter fieri, quam ut ex parte turris illo
extrueretur in area ad quandam universitatem in illo
municipio pertinente. Protestabatur Universitas hæc so-
lenniter adversus Senatum. Senatus referebat Principi.
Princeps renovabat mandatum. Protestabantur de novo
Domini area. Ac repetabatur illa protestatio toties, do-
nec Princeps mandato clausulam infereret, ut Senatus in
turri illa peculiare hypocaustulum extrueret, si forte eo
imposterum opus habiturus esset Princeps adversus Pro-
testantes.

Th. XV.

Sed tamen iniquis, nihil frequentius, quam ut, si quis
alteri contumeliam inferat, injuria affectus dicat: *pro-
testor de injuria*. Hic vero protestationi causam dat factum
alienum.

Th. XVI.

Ego vero nihil muto: Protestatio & hic fit ob factum
propriam, & ne alter taciturnitate sua videatur jus agen-
diamisisse: Ergo protestatur non propter factum alie-
num, sed ob proprium. Id tamen inde notes, sub voce fa-
cti, uti & alias in jure fit *l. 189. d. V. s.* hic comprehendi et-
iam non facta.

Th. XVII.

Non tamen necesse est, ut ex facto, cujus causa pro-
te-

testatur, eliciatur verosimilitudine magna præsumtio
juris amittendi. Sufficit si saltem ex facto suspicio oriri
possit. Prudenter enim facit, qui in actionibus suis omne,
quantum poterit, dubium tollit.

Th. XVIII.

Igitur cum prudenti protestatione non confunden-
da est protestatio planè superflua & otiosa. Quamvis enim
superflua non noceant, tamen si nec ullum habent usum,
si non stulta sunt, certe virum prudentem non decent.

Th. XIX.

Tales sunt v. g. protestationes Practicorum, quod ve-
lint omnia jura, clientibus suis reservare, quod nolint o-
nerari probatione superflua &c. talis etiam est protesta-
tio in subscriptione testium testamentariorum: *iedoch*
mir und den meinigen ohne Schaden.

Th. XX.

Declarat hæc tenus dicta elegans Ulpiani locus l. 14. §.
7. de religioſis & ſamt. fun. *In interdum is, qui ſuntum in ſunus fe-*
cit, ſuntum non recipit, ſi pietatis gratia fecit, non hoc animo,
quasi recepturus ſuntum. Igitur æſtimandum erit arbitro,
quo animo ſuntus factus ſit. Utrum negotium quis vel defun-
cti, vel heredis gerit, vel ipſius humanitatis; an vero miſericor-
diæ vel pietati tribuens vel affectioni. Poſteſt tamen diſtingui
& miſericordiæ modus, ut in hoc fuerit miſericors vel pius, qui
funeravit; ut eum ſepeliret, ne inſepultus jaceret, non etiam
ut ſuo ſuntu fecerit. Quod ſi judici liqueat, non debet eum,
qui convenitur, abſolvere. Quis enim ſine pietatis intentione
alienum cadaver ſenerat? Oportebit igitur teſtari quem, quo
animo ſenerat, ne poſſe à patiatuſt queſtionem.

Th. XXI.

Quàm cautè vero & perſpicuè protestationes fieri
debeant, elegantiffimè iterum Ulpianus d. l. 14. §. 8. exem-
plo

pro docet. Plerique filii, cum parentes suos funerant, vel alii, qui heredes fieri possunt, licet ex hoc ipso neque pro herede geritio, neque aditio presumitur, tamen ne vel miscuisse se necessarii, vel ceteri pro herede gessisse videantur, solent testari, pietatis gratia facere se sepulturam. Quid si supervacuo fuerit factum? ad illud se munire videntur, ne miscuisse se credant, ad illud non, ut sumtum consequantur: quippe protestantur, pietatis gratia id se facere. Plenius igitur eos testari oportet, ut & sumtum possint servare.

Th. XXII.

Sed de iis illi disputent, qui de Protestationum efficacia primario solliciti sunt. Nos de Protestatione facto contraria acturi sumus, quæ nullum communi & unanimi proverbio dicitur efficaciam habere. Ubi tamen initio capitale illud dubium occurrit, quod per hæcenus tradita omnis protestatio sit facto contraria, cum omnis protestatio fiat, ne facto nostro videamur jus admisisse. Ergo vel nulla protestatio videtur effectum habere, vel nulla protestatio ideo quod facto contraria sit, effectum suo destitui.

Th. XXIII.

Quid ergo dicemus? Videtur brevissime res expediri posse, si tres casus secernamus. Aut enim protestatio fit post factum proprium, aut in ipso facto, aut factum, cujus causa protestamur, præcedit.

Th. XXIV.

De primo casu hanc formamus regulam. Protestatio quæ post factum morale sit, eique adversatur, nullum effectum habet. Diximus enim in antecedentibus, quod protestatio conservet jus nostrum, non vero quod nobis jus acquirat. Multo minus igitur apta est, ut jus alteri jam quæsitum auferre possit.

Th. XXV.

Th. XXV.

At vero quamprimum factum nostrum perfectum est, si morale sit, quod nobis ad obligationem imputari potest, statim eo momento alteri jus censetur esse acquisitum.

Th. XXVI.

Sic in contractibus, si alteri rem meam vendiderim, ita ut venditio jam sit perfecta, stulta erit protestatio subsequens, quod non vendiderim cum animo transferendi Domini, aut quod velim in re vendita mihi quædam reservare, de quorum reservatione in ipso negotio non feci mentionem.

Th. XXVII.

Ita si putator ex arbore, dejecto ramo aliquem interficiat, aut damnum det, non liberabitur ab obligatione si post dejectionem, etiam si statim fiat, clamet, cave. *l. 31. ff. ad l. Aquil. §. 5. Inst. eod.*

Th. XXVIII.

Aliud dicendum si antea proclamaverit. Incidit jam pulcher casus, quem referam, cum cautela inde suppeditur advocatis prudenter se gerendi in probatione. Protestatio enim tempestitiva non semper facile probari potest. Conveniebat dives bauperem pajulum actione vel injuriarum vel legis Aquiliæ, quod ab ipso in via publica in lutum projectus, & ita vestimenta pretiosa grave damnum passa essent. Clamaverat bajulus, Cave, Cave, sed testes non habebat. Instruebat Advocatus Bajulum, ut coram judicio simularet, se esse mutum. Impatiens adversarius ad judicem conversus monebat, ne do- lo hoc sibi imponi pateretur, cum vel mille testes producere posset, bajulum hunc alta voce clamasse: Cave, Cave. Ita vero absolvebatur reus ab actione.

B

Th. XXIX

Th. XXIX.

Ac circa primam quidem hanc regulam nostram ne mo facile dissentiet, cum Doctores potius communiter ob ibi dictam rationem ad protestationem efficacem requirant, ut fiat vel in ipso actu, vel actum præcedat. Sed de posterioribus duobus casibus distinctim erit procedendum.

Th. XXX.

Quod ergo secundum attinet, ubi protestatio fit in ipso actu, facta distingvenda sunt. Velenim factum cuius gratia protestamur, inducit saltem vero similitudinem & præsumtionem, aut etiam suspicionem aliquam voluntatis nostræ, vel voluntatem nostram plene declarat.

Th. XXXI.

Primus modus, ut jam supra diximus, protestationis efficacis requisitum est, ejusque ratio in eo consistit, quod tacita voluntas cedat expressæ.

Th. XXXII.

Quod si voluntas nostra facto illo plene declaretur, rursus distinguendum est, utrum obligatio, quæ occasione illius facti alias oriretur, sit ex consensu nostro, utrum ex lege.

Th. XXXIII.

Si ex consensu: *Protestatio in ipso tali actu voluntatem nostram plene declarante interposita facit actum nullum.* Ratio est, quia nemo uno eodemque momento potest velle contraria aut contradictoria. Contraria autem voluntas non est voluntas.

Th. XXXIV.

Ita si dicam: *Vendo tibi ædes meas ea tamen cum protestatione, ut non velim in te dominium transferre; aut: mutuo tibi dabo centum, sed cum ea protestatione,*
ut

ut ea non alienes, nec venditio erit, nec mutuum, & nihil agetur, si maneat res in illis terminis, & non ex novo facto alia voluntatis conjectura elici possit. Si enim v. g. ista centum sub illa conditione alteri tradantur, ex traditione præsumetur dispositum.

Th. XXXV.

Si vero obligatio veniat ex lege: *Protestatio in tali actu voluntatem nostram plene declarante, (sive alias factum sit licitum, sive illicitum) interposita est inefficax.* Ratio est, quia protestatio conservat saltem jus nostrum, cujus translatio a libera nostra voluntate tantum dependet, non vero, quod in alium transferimus aut amittimus etiam invit.

Th. XXXVI.

Ita, si quis alterius absentis negotia gerat, etiam si in ipso actu negotiorum gestionis coram Notario & testibus protestetur, se nolle alteri rationes reddere, aut damna culpa data refarcire, nihilominus obligabitur.

Th. XXXVII.

Ita recognoscens documenta, quod sint contractus tales, quales adversarius esse dixerit, & quod ea sigillo suo signaverit, & iisdem nomen suum subscripserit, etiam si addat, quod absque animo recognoscendi hæc faciat, documenta habebuntur pro recognitis, *Carpz, Proc. Tit. 14, art. 3. §. 1. n. 21.* quia ad recognoscendum aliquis ex lege processus tenetur. Aliud igitur esset, si quis extra iudicium talia faceret, ubi actus esset nullus, h. e. recognitio non recognitio.

Th. XXXVIII.

Ita si quis data opera alterum vulneret, etiam si statim & in ipso actu protestetur, quod non habeat animum injuriandi, injuriarum tamen tenebitur, quia lex talia facientem obligat, etiam invitum.

Th. XXXIX.

A liud foret, si quis non data opera eum vulneret, v. g. si defendat se contra aggressorem, & retro adstantem vulneret, dum gladium elevat, ut aggressorem feriat, aut si in summa ebrietate aliquem vulneret, ac priori casu statim, posteriori, quamprimum suæ mentis compos redditus, & facti sui gnarus factus fuerit, protestetur, se factum nolle quia tum lex vel plane non, vel saltem mitius punit.

Th. XL.

Restat ut videamus protestationem facto subsequenti contrariam. Hic vero sic arbitror: *Protestatio factum præcedens tollitur per factum subsequens contrarium, sive obligatio veniat ex consensu sive ex lege, sive factum subsequens plene declaret voluntatem, sive valde verosimiliter.*

Th. XLI.

Rationes non sunt longe quærendæ. Si enim obligatio veniat ex consensu, posterior voluntas derogat priori. Si ex lege, ratio repetenda ex th. 35.

Th. XLII.

Si subsequens factum plene declaret voluntatem, nulla adest ratio dubitandi, si saltem verosimiliter, voluntas nostra etiam expressa, tollitur non solum verbis, sed & facto, sive non solum alia voluntate expressa sed & tacita. Ita lex publicata non tollitur saltem alia lege, sed & consuetudine.

Th. XLIII.

Ita si quis dicat, quod nolit mihi ædes suas vendere, & tamen postea vendat, venditio subsistet. Ita si quis ante negotium gestum protestetur, quod nolit obligari, & postea negotia gerat, obligabitur.

Th. XLIV.

Ita si quis dicat, quod nolit mihi debitum remittere,
&

& tamen postea reddat mihi chirographum, censetur remisisse. Ita si quis protestatus fuerit de amicitia erga me, & postea nimium familiariter mecum conversetur, ita ut indicia quædam animi injuriandi adsint, non obstante protestatione, tenebitur injuriarum.

Th. XLV.

Paucis hisce fundamentis arbitramur totam doctrinam de protestatione facta contraria includi posse. Multas limitationes regulis addere nolumus. Quo pauciores enim limitationes regulæ juris habent, eo magis philosophicæ, ac consequenter eo meliores habentur. Et ex dictis etiam putamus tradita Doctorum de protestatione facta contraria examinari posse. Quod ut alio tempore fiet fusius, ita summatim nonnulla nunc indicabimus.

Th. XLVI.

Detestari est absenti denunciare *l. 39. § 2. ff. de V.S. Detestatio est denunciatio facta cum testatione l. 40. pr. eod.* Referendæ sunt hæc leges ad Edictum vi bonorum raptorum. Vis etiam est, si quid fiat contra detestationem *l. 1. §. sed nisi ff. quod vi aut clam.* Vi facit, vi rapit, qui rem aufert contra detestationem. Quod cum non intellexisset Alciatus, multa de Protestatione *ad d. l. 40. pr.* commentatus est, extra oleas vagatus. Protestatio non est denunciacionis species, nec detestatio protestationis *Wifsenb. ad d. l. 40.*

Th. XLVII.

Sed Alciatus deceptus est a Glossatoribus, qui communiter protestationis definitionem ab Ulpiano in *d. l. 40.* traditam esse putarunt, unde & Bartolus ac Martinus Nigrinus integrum de protestatione tractatum hinc deduxerunt

runt. *Conf. Gædd. ad d. l. 39. §. 2. & d. l. 40. pr.* Atque hic est communis quasi fons errorum, quos Dd. in doctrina de protestationibus committere solent.

Th. XLVIII.

Orta etiam est exinde erronea protestationis divisio tradita Bartolo *in l. non solum §. morte 6. ff. de N. O. N. n. 12.* quem communiter sequuntur Jason, Roggerius aliique plures. Esse nimirum quandam Protestationem declaratoriam propriæ voluntatis ipsius protestandis, quandam prohibitoriam seu inhibitoriam, ne aliquid fiat, quandam certificatoriam alicujus facti vel omissi. Sed errorem hunc jam olim notarunt Martinus Gilbertus *n. 3. & 4. præfat. in tract. de protestationibus Roggeri aliorumque*, Johannes Petrus de Ferrariis *in Practica Papiensi forma declin. jurisd. verb. protestans, n. 2. & 3.* Ripa *in c. cum M. Ferrariensis §. X. de constit.* ac forte alii. Nempe sola declaratoria protestatio est. Reliquæ sunt protestationis species spurix, ad denunciationem aut aliorum pertinentes.

Th. XLIX.

Sunt & aliæ Doctorum protestationis divisiones, vel æque erroneæ, vel certe parum utilitatis habentes. Quales sunt, quod protestationes sint vel publicæ, vel privatæ, (tam ratione causæ efficientis, quam ratione objecti,) vel tales quæ ex animo protestantis principaliter dependant, & quæ simul ex facto ejus dependant, cui protestamur; vel quæ concernant factum proprium, vel quæ alienum; vel judiciales vel extrajudiciales; vel justæ vel injustæ; vel expressæ vel tacitæ seu præsumtæ; vel utiles vel inutiles; vel quæ fiunt juris conservandi causa, vel quæ damni avertendi &c. *Conf. Alciat. ad l. 40. pr. de V. S. n. 7. Mart. de Ve de Protestat. n. 4. 8. & 11.*

Th. L.

De singulis ut seorsim agamus, prohibet institutio ratio,

tio. Id saltem omittere nolumus, protestationem præsumptam esse non ens per dicta superius in expositione definitionis. Tales esse dicuntur clausulæ in Rescriptis & concessionibus Principum tacite subintellectæ: Si preces veritate nitantur, item: salvo jure tertii. Sed quis talia non videt, impropriissimè protestationes appellari?

Th. LI.

Fortè tamen Dd. hic errandi occasionem sumserunt *ex cap. 54. in fin. X. de appellat. verbis: Sed si verbo vel factò appellationem se velle prosequi protestetur.* Ad debuissent considerare, quod Pontifex naturas rerum non possit mutare: debuissent cogitare, protestationem quæ absque verbis factò sit de appellatione prosequenda esse non ens.

Th. LII.

Traduntur etiam a Dd. regulæ de protestationibus vel non magni momenti vel inepte probantur. Saltem quasdam ex indice corporis Glossati hic memorabimus. Talis est 1. Protestationem nudam non dissolvere jam contractam obligationem; quæ uti vera & evidens est ex philosophia, ita inepte probatur *ex l. 27. de const. pec. Pomponius falsam putat opinionem Labeonis existimantis, si postquam, qui constituit pro alio, Dominus ei denunciaret, ne solvat in factum exceptionem dandam. Nec immerito Pomponius. Nam cum semel sit obligatus, qui constituit, factum debitoris non debet eum excusare.* Agit hic textus de denunciatione, non de protestatione. Sed decepit Dd. quod denunciationem putaverint esse protestationis speciem.

Th. LIII.

Talis est 2. Protestatio nihil operatur, nisi adversarius consentiat. Quæ uti de Protestatione vera est falsissima, ita minime probatur *ex l. 50. de cond. indeb. ubi Pomponius: Quod quis sciens indebitum dedit, hac mente, ut postea repetere, repetere non potest.*

Th. LIV.

Th. LIV.

Talis est 3. Protestatio non præsumitur esse vera, nisi probetur. Hæc regula uti in vera protestatione nullius est usus, ita nec probatur ex *l. 22. C. de transact. Si major transigisti, ad rescindendam transactionem de dolo contestatio*, i.e. ut volunt, protestatio quod dolo adversarii indutus sis ad transigendum, *non sufficit*. Potius textus de protestatione factio contraria explicari posset, sive protestatio illa facta esset in ipsa transactione, ut vult Wissenb. *adh. l.* sive postea, ut eam exponit Dion. Gottofredus. Accuratus tamen loquendo plane non de protestatione proprie sic dicta, sed de contestatione loquitur.

Th. LV.

Talis est 4. Protestationi causa est inferenda. Falsus est hic canon, neque probatur ex *l. si fidejussor 29. ff. mand.*

Th. LVI.

Talis est 5. Protestatione facta alicui, jus ejus tolli, nisi contradicat. Et hoc falsum, neque probatur ex *l. si fidejussor 7. ff. qui satisd. cogantur*. Ut taceam, falsitatem hujus axiomatis Glossatores perspicere potuisse vel ex *l. debet 7. in fin. princ. ff. navis, cauponis, stabularii &c.*

Th. LVII.

Cæterum, uti supra ex sanæ rationis principis deduximus veritatem thematis nostri, ita non opus est, ut cum Doctoribus sudemus, quomodo id probemus ex legibus utriusque juris. Hoc enim esset revera vagari extra oleas, aut rem certam argumenti incertis velle probare. Age videamus textus, quos adducere solent.

Th. LIIIX.

Afferuntur vero *l. 60. §. de locati*, ubi Labeo. *Locator horrei propositum habuit, se aurum, argentum, margaritam non recipere suo periculo: deinde cum scires, has res inferri, passus*

sus est. Proinde eum futurum tibi obligatum dixi, ac si propositum fuit remissum. Etiam si autem demus, textum hunc de protestatione loqui, (quamvis & de hoc multa subsint dubia) & de facto protestationi contrario, tamen exemplum saltem aut conclusionem habebimus deductam ex axioma nostro, tanquam ex præmissa. At contra principia Logica est asserere, præmissas probari ex conclusione.

Th. LIX.

Ut taceam hoc pacto rem apertam probari ex re dubia. Dubia enim valde non solum est legis lectio, sed & sensus. *Conf. Dion. Gottofr. in notis ibid. & adde l. 55. pr. & d. l. 60. §. ult. eod.* Dubium est, de dabilitate casus & quid Locator horrei opus habuerit ista protestatione, nisi forte sub edicto, *nautæ, caupones, stabularii* etiam comprehensi fuerint domini horreorum *arg. l. 1. §. 4. nautæ caupones, stabularii ut recepta restituant.*

Th. LX.

Alii ad *l. 21. pr. de acquir. & omit. hered.* provocant. *Si quis extraneus rem hereditariam quasi subripiens vel expilans tenet, non pro herede gerit. Nam admissum contrariam voluntatem declarat.* Neque tamen hic textus de protestatione agit, & exinde argumentum non nisi longe remotum peti potest. Similis est ratio *l. 188. pr. ff. de R. J. & l. 14. C. de fide instrum.* qui textus etiam à quibusdam ad materiam protestationis torquentur,

Th. LXI.

Provocari etiam solet ad *c. 9. X. de constit.* ubi Pontifex

tifex jubet, ut Ferrarienses Canonici, qui ut reditus suos augmentarent, convenerunt, ut proventus Ecclesie saltem dividantur in quatuordecim præbendas, & postea tamen quinque Canonicos supra quatuordecim receperentur his Canonicis præbendas assignaverant, patetur his Canonicis præbendas assignari. Non continet hic casus exemplum protestationis factæ contrariæ. Et falsum est quod Pontifex dicit, quod Canonici per electionem illorum quinque supra numerum constitutioni suæ derogaverint. Neque enim constituerant, quod non plures quam quindecim eligere vellent, sed quod non plures quam quindecim præbendas vellent assignare.

Th. LXII.

Denique adducitur *cap. 54. X. de appelleat.* Ubi glossatur in summario hæc ponit sententiam: si appellans ad superiorem compareat coram iudice inferiore super concernentibus appellationem, ipsi appellationi renunciare videtur. Si autem protestetur, quod per hoc nolit renunciare appellationi, non est audiendus tanquam contraria allegans. Ego vero puto, Glossatorem non benè percepisse sententiam Pontificis, longe aliud ibi disponentis. Quamvis ipse Pontifex forte non intellexerit, quid ibi in verbis finalibus capituli voluerit, ita illa verba contradicunt decisioni paulo ante præcedenti.

Th. LXIII.

Propius ad rem præsentem pertinet casus in *cap. 20. X. de off. iud. de leg.* ubi definitur quod ille censeatur

re-

renunciasset appellationi, qui coram eo a quo appellavit litem prosequitur. Sed neque tamen & hic textus de protestatione loquitur, & si loqueretur, esset saltem casus similis, non textus probans.

Th. LXIV.

Neque feliciores sunt Doctores in proponendis casibus ad doctrinam nostram pertinentibus. Sunt qui istum ponunt. Aliquis injuriam servo intulit & protestatus est se non fecisse animo afficiendi injuria dominum. Putant dominum non posse agere actione injuriarum propter protestationem. Nos putamus esse protestationem facto contrariam, ita ut Dominus agere possit. Provocant illi ad l. 8. §. 3. & 4. de injur. Nos provocamus ad sanam rationem & petimus potius evolvi §. 5. d. l. 18.

Th. LXV.

Alii casum afferunt, quod mandans verberare aliquem & protestans ne occidatur, tamen teneatur poena homicidii, cum mandando in culpa fuerit, & hoc evenire posse scire potuerit. *c. fin. de homici d. in 6.* Nos poena homicidii eum non teneri statuimus, sed extraordinarie puniendum esse. Neque obstat sententiae nostrae *d. cap. fin.*

Th. LXVI.

Ista tamen casus huc pertinet. Emphytevta debito tempore non solverat canonem. Dominus Emphy-

phetyveos accipit canonem futuri temporis addita protestatione, se non remittere caducitatem. Est protestatio facta contraria. Aliud esset, si hanc protestationem adderet eo casu, si acciperet canonem præteritum. Imo protestatio tum esset abundans. Nam etiam non protestando retineret actionem revocandi Emphytevsin.

Th. LXVII.

Porro: Dixit quis: Tu mentiris salvo honore tuo. Putant Dd. esse protestationem facta contrariam. *Gail. l. 2. obs. 101. Mund. vol. 1. conf. 12. n. 247. seq. Gottbofr. in not ad l. 21. pr. de A. vel O. H. lit. Z.* Ego id indistincte verum esse non puto. Præterquam enim, quod adhuc dubium sit, quod supponunt, hæc verba: Tu mentiris, esse per se iniuriosa; Quidsi quidam sint ita scurriliter familiares, ut & verba alias magis contumeliosa pro verbis familiaribus usurpent?

Th. LXVIII.

Similis formæ est exemplum Farinacii *de hæresi qu. 178. n. 153.* Protestatur quidem, se credere omnia, quæ credat Ecclesia, vel in specie protestatur, se credere Messiam iam advenisse, & tamen iuxta ritum Judæorum Paschalem agnum occidit & manducat, vel Sabbatum collit vel, similia perpetrat. Putat Farinacius, esse protestationem facta contrariam. Sed sapit hoc nimis Jurisprudenciam irregularem inquisitorum hæreticæ prauitatis. Nos dissentimus.

Th. LXIX.

Alius casus. Respondet quis ad libellum addita pro-

protestatione, quod non intendat respondere. Putant esse protestationem factio contrariam. *Conf. Mynf. Cent. 3. obs. 174.* Admittimus, si modo non leges velint, ut exceptionibus dilatoriis semper adjungatur eventualis litis contestatio. Quo casu protestatio salutaris est.

Th. LXX.

Alii sic: Quidam in presentia testium expresse protestatur, quod omnia quæ in posterum dicturus vel facturus sit non facturus sit animo contrahendi matrimonium cum aliqua muliere, postea vero matrimonium cum illa muliere contrahit. Valet matrimonium, quia per factum videtur a protestatione recessisse. *Jaf. ad l. s. de N. O. N.* Nos decisionem casus admittimus, rationem decidendi negamus. Ista enim ratio potius subest, quod protestatio fuerit dolosa.

Th. LXXI.

Fecit aliquis testamentum, cum clausula protestatoria, quod si postea testamentum facturus sit, id non valere debeat, si non v. g. prepositum ei sit signum crucis, aut, nisi incipiat certis quibusdam verbis, aut nisi clausula cassatoria aperte sit addita. Facit postea aliud testamentum, ubi istæ conditiones non apparent. Communiter putant prius testamentum ruptum esse, & protestationem esse factio contrariam. Nos putamus prius valere, & protestationem effectu suo non destitui.

C 1

Th. LXXII.

Th. LXXII.

Consultit Abbas & Felin. *in cap. 5. X. de presunt.* si filia iusta de causa nolit nubere illi, cui pater illam desponsaturus est, neque per silentium suum matrimonio consentire velit, juxta *l. in sponsalibus 7. in fin. ff. de spons.* quod bene sibi consulat, si prius coram amicis protestetur, se tacendo nolle patri despondenti consensum adhibere, & quod non contradicat, id fieri ex iusto metu. Nos hoc consilium ineptum putamus.

Th. LXXIII.

Denique supra nullas limitationes doctrinae de protestatione facto contraria adjecimus, quia statuimus, limitationibus Dd. quas tradunt, non esse opus. Talis est I. quod protestatio facto contraria jus nostrum conservet, si actus contrarius dependeat solum a voluntate protestantis: Ut: si cui bis legavero, semel tamen praestari volo *l. 22. pr. de legat. 3. Jason ad l. 8. de N. O. N. n. 14.* Imo vero etiam si actus tantum a voluntate protestantis dependeat, tamen Protestatio facta contraria est inefficax. In exemplo vero adducto non est protestatio facto contraria, sed facto conformis.

Th. LXXIV.

II. Limitant, nisi actus praesumptive tantum, non vere sit contrarius. Rem ipsam concedimus. Sed hoc non est limitatio, quia per eam nihil limitatur aut restringitur.

Th. LXXV.

III. Limitant, nisi facta sit protestatio altera parte

te praesente & consentiente vel non contradicente :
v. g. si quis sciente & consentiente muliere protestetur,
quod quaecunque gerat cum illa, non intendat cum i-
psa contrahere matrimonium, tum dicunt, non esse
matrimonium, etiamsi publice matrimonium cum il-
la contrahat. Nos initio putamus hoc non esse exem-
plum protestationis facto contrariae, sed facto confor-
mis, nihilominus tamen statuimus, quod matrimo-
nium subsequens valeat non obit. protestatione.

Th. LXXVIII.

IV. Limitant nisi protestatio juramento sit corro-
borata. Hoc enim casu dicunt in tantum valere pro-
testationem, ut nequidem per actum contrarium jura-
mento confirmatum tolli queat. Dant exemplum.
Si mulier protestetur patri aut Notario stipulanti eo-
rum nomine, quorum interest, quod non velit con-
sentire alienationi dntis, insuperque jurat, postmo-
dum autem marito alienanti consentiant, & juret,
non tamen esse firmam alienationem. Sed nos
limitationem falsam esse putamus. In exem-
plo quidem res ita se habet ut dicitur.
Sed exemplum est impertinens.

TANTUM.



to produce a consistent set of non-contradictory
statements. The first step is to identify the
statements that are being made. In this case, the
statements are: "The first statement is true",
"The second statement is false", "The third
statement is true", "The fourth statement is
false", "The fifth statement is true", "The
sixth statement is false", "The seventh
statement is true", "The eighth statement is
false", "The ninth statement is true", "The
tenth statement is false".

TE LXVIII

IV. The first of the four statements is true,
the second is false, the third is true, the
fourth is false, the fifth is true, the sixth
is false, the seventh is true, the eighth is
false, the ninth is true, the tenth is false.
The first statement is true, the second is
false, the third is true, the fourth is false,
the fifth is true, the sixth is false, the
seventh is true, the eighth is false, the
ninth is true, the tenth is false.

TAVIUM



P
DN
MA
DN
C
Sur
Recu



ULB Halle

3

004 161 696




5b

Vb 17.







Farbkarte #13

B.I.G.

2. 5 3

1599

28a

C. D.
INAUGURALIS,
DE

STATIO. TO CON- ARIA,

QUAM
BENEFICENTISSIMO,
PRINCIPE AC DOMINO,
FRANCISCO WILHELMO,
ELECTORIS SACCHE-
B. ET ELECTORATUS HÆ.
&c. &c. &c.

RESIDE
THOMASIO, Jcto,
PROF. PUBL. ET FACULT.
DECANO,

CENTIA,
Jure Honores & Privi-
legia ritè capeffendi,
in examini submittit

RESCIUS, Gubenas,
Gubenasensis Advocatus
Saccoburgensis
Mag. Q. C.

DEBURGICÆ,
HENCKELII, Acad. Typogr. 1726.

